



# **Disputatio juridica inauguralis ad regulam, qui prior est tempore potior est jure**

<https://hdl.handle.net/1874/343807>

31.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
AD REGULAM,

Qui prior est tempore potior  
est Jure ,

*QUAM*

PRÆSIDE DEO TRIUNO.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices , Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu , Nobissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto.*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

THEODORUS VANDER MAST. Guilhelmopoli Brab.

*A. D. 24 Septemb. horis locoque soliss.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz  
Typographi , cl c xc.

*Nobilissimis Amplissimisque*

*V I R I S,*

D. D. ADRIANO PIETERSON,

JC. Potentissimi Magnæ Brittanniæ Regis Castellano, & Quæstori in civitate & territorio Niervaardensi, curæ & tutelæ patri, sempiterno amore & obseruantia, colendo.

D. D. ARNOLDO vander MAST,

JC. Patruo meo Plurimum venerando.

D. D. JOHANNI BOGERDT,

JC. Avunculo, mihi nunquam non honorando.

*Hanc Disputationem Inauguralem, ut &  
me met ipsum humilimo animo,*

*offerō*

THEODORUS VANDER MAST,

AUCTOR.

*Оригиналъ Нидерландской Академии  
1690 г. въ Тюбингенѣ*



## DISSERTATIO JURIDICA

### INAUGURALIS

AD REGULAM.

**Qui prior est tempore, potior est Jure.**

## C A P U T I.

**P**ro conatu meo enucleatus hanc juris regulam, *qui prior est tempore potior est jure*, non abs re fore arbitror, si primo generaliter ostendam quid sit regula. Et hoc summa ratio postulat ut à generalibus initium fiat, nam ad cognitionem specierum, præcedere debet cognitio generis. *Vid. Decimum ad tit. D. R. J. Num. 5.*

§. 1. Regulam definit JC. *Paulus in l. i. ff. d. R. J.* nimirum quod sit, *brevis narratio rei existentis,*

A 2 non

#### 4. DISPUTATIO JURIDICA

*non ut ex ea jus sumatur, sed ex jure quod est, quæ simulac vitiata est, perdit officium suum.*

§. 2. JC. inquit quod sit brevis narratio. Per regulam enim brevis & concinna fit narratio, & est quasi causæ conjectio ut *Sabinus* ait in *d. l. 1.* quod significat summatim & per indicem narrationem; causæ hujus conjectio, ex lege duodecim tabularum originem suam ducere videtur: sic enim edicebant decem viri: *in foro, aut comitio, ante meridiem causam conjicito duar. 2. disp. 46. alciat. 5. parerg.* quemadmodum ergo causæ conjectio, omnia litigatoris jura in breve cogit; sic regula plurium legum capita breviter complectitur.

§. 3. Porro additur *rei existentis*. Per rem non intelligi debet res gesta, aut factum aliquod: sed jus quod est, eodem modo, ut in definitione juris prudentiæ, notitia rerum, est notitia juris de rebus.

§. 4. Subjungitur *non ut ex ea jus sumatur, sed ex jure quod est*, nam regula hauritur ex jure, quod prius erat receptum. Hinc aperte cerni potest virtutem regulæ in eo esse sitam, quod nempe regula jus, ante constitutum, & per singulas species observatum, id generaliter & in universum, quale sit, breviter & clare, quantum fieri potest, exponit.

§. 5. Denique adjicitur *quæ simulac vitiata est*, perdit regula vim suam ac potestatem per exceptionem, cuius manifestæ reddi possunt rationes, nulla enim regula tam generalis est, quin patiatur exceptionem, & præterea in toto jure generi per speciem derogatur, secundum JC. in *l. 10. ff. d. R. f.* sed oportet exceptionem sub regula contineri, per *l. 4. §. fin. ff. d. pen. leg.*

§. 6. Pro

## I N A U C U R A L I S.

§. 6. Pro viribus exposita generali definitione regulæ, ad regulam propositam in specie progredior, quæ hæc est, qui prior est tempore; potior est jure, quæ quidem totidem verbis extat in jure Canonico, *Cap. 54. d. reg. jur. in 6.* ut ex pluribus Juris Civilis textibus evinci potest præcipue ex *l. 9. pr. l. 11. pr. ff. q. pot. in pign. l. 4. C. eod.*

## C A P U T II.

In hac quidem regula enodanda, amplius se milii offert campus: sed intra cancellos ordinariæ disputationis me continebo, & quandoquidem præcipuus hujus regulæ usus est in prælatione & concursu creditorum, præcipue etiam in id intendam, atque hæc quatuor generalia notabo. 1. Quis creditor dicitur prior esse tempore. 2. Quibus creditoribus, hoc competit. 3. Quibus in causis hoc jus conceditur. 4. Quibus casibus cessat.

§. 1. Quod ad primum, sc. quis prior tempore sit; sciendum est hoc pro subiecta materia esse determinandum. In hac materia tempore prior dicitur omnis creditor, qui primo de pignore convenit, non cui pignus primo traditum est per *text. express. in l. 12. §. ult. ff. quæ. pot. in pig.* secus quam in empt. venditione, per *l. 15. C. d. R. V.* ubi is prior censeatur, cui res prius fuit tradita. Differentiæ hujus ratio clare colligi potest ex natura ipsius rei, nam ad pignoris constitutionem conventionio tantum requiritur, in empt. vendit. autem requiritur traditio, si non vera, saltem symbolica vel ficta per quam dominium transfertur. Nullibi enim in

## DISPUTATIO JURIDICA

toto Jure civili legimus quod conventio sola tribuat jus  
re, si excipias pignus: sic enim ipse Imperator *Justi-*  
*nianus in §. 7. f. de act. inquit serviana & quasi ser-*  
*viana actio ex ipsius Jurisdictione prætoris substantia-*  
*m capiunt.*

§. 2. Dieta hæc limitantur à JCto in l. 14. ff. qui pot.  
in pig. sc. si adversis non dominis pignus accipiatur, pos-  
sidentis causa eo casu melior sit, quod optime quadrat  
cum regula Juris 128. ff. d. R. j. quæ dicit, quod in pari  
causa *possessor* *potior* est, & ratio manifesta est, cum enim  
uterque est non dominus, tunc unus non majus Jus  
obligandi pignus habet quam aliis, nec unius Jus ab al-  
tero pendet, nihil ergo restat quam ut melior causa sit  
possidentis.

§. 3. Et hæc adeo vera sunt, ut non tantum in pignore  
præferatur creditor, sed & si debitor posteriori credi-  
ri solverit, priori nihilo minus jus repetendi solutionem  
super sit, per expressam l. ult. §. q. C. d. jur. de liber. cu-  
jus forte hæc ratio est, sc. ne malignus debitor credito-  
ribus suis obesse posset.

§. 4. Hac occasione excutienda venit acris inter DD.  
Quæstio: nimirum an prioritas temporis, de qua incepi  
dicere, æstimanda sit à momento ad momentum, ita ut qui  
momento tantum prior sit, tempore prior censeri debeat:  
& quamvis non defint viri magni, qui ab utraque parte  
hanc quæstionem defendant, adeo, ut mihi vix tutum vi-  
deatur, partem facere, attamen affirmativam cum ple-  
risque amplector sententiam; & veriorem puto: ut pote  
rationi magis conformem: dico rationi conformem, per  
absurdum enim foret, ut qui sub vespera accepit pignus,  
concurret cum eo, qui sub auroram accepit, & præ-  
terea

terea nemo negare potest, quin momentum sit tempus, & leges simpliciter temporis mentionem faciunt, non adjecta quantitate dierum vel horarum. Evidem continge-re posse fateor, ut per incuriam forte non accurata tem-  
poris habeatur ratio, sed tunc sciendum est jus eo casu  
non deficere, sed probationem, atque ita intelligi potest,  
*L. 16. §. 8. in fin. ff. pot. in pign. casu quo J.Ctos innuit*  
quod concurrere debeant.

## C A P U T III.

**V**Idendum porro est quibus creditoribus hoc tempo-  
ris privilegium competit, quod satis apparebit, si  
ostendamus, quibus hoc competere nequeat.

§. I. Scire itaque oportet omnes creditores vel esse  
personales, vel reales, seu hypothecarios; personales  
iterum vel esse privilegiatos, vel simplices; Duntaxat  
hypothecarios vero vel esse simplices tantum, vel privi-  
legiatus æque, vel privilegiatos in æqualiter, hoc est,  
quorum privilegium fortuis est cæterorum. Quod ad  
personales, illis hoc temporis privilegium nullo modo  
competit, sive sint simplices, sive privilegiati, *Pri-  
vilegia enim non ex tempore æstimantur, sed ex cau-  
sa inquit JCtus in l. 32. ff. d. Reb. auct. jud. & præterea,*  
quamvis sint privilegiati, attamen hypothecariis sim-  
plicibus post ponuntur *l. 9. & l. 37. C. 4. pot. in pig.* &  
ratio manifesta est, nam Hypothecarii duplice Jure gau-  
dient, quippe personam, & ejus bona habent sibi obli-  
gatam habent, quantum ad Hypothecarios, & qui-  
dēm.

dem maxime privilegiatos , inter eos non habetur , temporis ratio , quoniam ante omnes alios creditores locum vindicant , ut nec inter æqualiter privilegiatos , hi enim concurrere tenentur , licet diversitas temporis in his sit , expresse hoc docetur in *leg. 32. ff. d. Reb. auct jud.* Hypothecariorum simplicium contentionem ergo dirimit hæc nostra regula *juxta l. 11. ff. 4. pot. in pig. item l. 8. C. eod.*

## C A P U T I V.

**V**Ideamus quoque in quibus causis hæc temporis prærogativa concedatur , & locum habeat , & quidem generaliter in omni Hypotheca sive generalis sive specialis , seu expressa seu tacita , vel judicialis , vel conventionalis sit.

§. 1. Dico locum habere hanc temporis prærogativam tam in generali , quam speciali , Hypotheca & hoc clare docet *l. 2. ff. q. pot. in pig. & l. 6. C. eod.* & nil refert utrum hæc vel illa sit prior non enim specialia generalibus supervenientia , illis derogare possunt ; propterea , quod jus , per generalem Hypothecam semel quæsumum , non possit tolli per specialem sequentem Hypothecam vel minui , nec ratio obscura reddi potest , lex enim 6. *C. q. pot. in pig.* sic imperat , deinde etiam quid alias operari posset illa generalis conventio , quam aperire fenestrarum , improbis debitoribus ut fidem suam facilius fallicherent quod absurdissimum foret , & plane contra Jct. mentem ? potius infrænandi , ac coarctandi sunt , quantum fieri potest , *ut in l. 2. ff. q. pot. in pig.*

§. 2.

§. 2. In expressa & tacita Hypotheca hæc nostra regula usi venit, quod abunde satis testatur *l. i. C. si propt. penitiat. publ.* & præterea eandem vim habet, nam &c hæc quoque sc. tacita hypotheca, rem afficit, & cum suo onere alienatur per *l. fin. C. q. pot. in pig.*

§. 3. Denique nihil quoque interest utrum sit judicialis, an conventionalis hypotheca. Sufficit hypothecam esse priorem tempore. Sed in judiciali tria requisita notantur in *l. 10. ff. q. pot. in pig.* quæ debent concurrere, nimirum ut jure judicatum sit, ut pignus ex causa judicati captum sit, & ut captum sit auctoritate ejus, qui jubere potuit. Ut jure judicatum sit hoc est, quod sententia valet, ut notat *gloss. ad d. l. 10. ff. q. pot. in pig.* & ut ex causa judicati captum sit pignus, id significat pignus demum post rem judicatam debere capi. Requiritur quoque, ut pignus captum sit auctoritate ejus, qui jubere potuit sc. per judicem vel jussu ejus, nam si privatus propria auctoritate pignus occupaverit tunc incidit in editum *D. Marci* quod extat in *l. 14. ff. quod met. caus.* & privatur suo jure crediti, nisi aliter convenit. §. 1. *J. qnib. alien. lic. vel non.*

§. 4. Hic ab interpretibus Quæritur, an prioritas temporis quoque obtineat in pignore prætorio. Quod plane negandum puto per *l. 26. ff. de pict. act.* & ratio est, quia pignus prætorium tantum est nuda detentio rei per apparatores facta, vel missio creditoris in possessionem bonorum debitoris *l. 12. C. d. pig. præt. item l. i. §. 3 ff. ut in poss. leg. l. 12. ff. d. reb. aut. jud. poss.* quæ omnibus creditoribus ejusdem tituli, æquale jus tribuit. Præcipue dissentientium leges hac duplii fere responsione tolluntur. Vel diversum quid continent,

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

ut *l. 3. C. q. pot. in pig.* ubi respublica *Heliopolitanorum* præfertur omnibus creditoribus chirographariis. Et hoc non est mirum illud enim specialiter iis à principe est concessum, olim non obtinebat: sed cum cæteris creditoribus concurrere debebant, ut patet ex epistola plinii ad *Trajan. de exact.* vel leges loquuntur de creditoribus, diversi tituli ut *l. 2. C. eod. Sc.*

## C A P U T V.

**R**estat ultimo loco videre quando, & quo modo hæc temporis ratio cessare debeat: sed quoniam multi sunt casus, quibus regula hæc officium suum perdit, quosdam tantum enumerabimus.

§. 1. Et quidem primo ob mendacium; nempe si creditor negaverit rem in debitoris bonis esse, & posterior hoc probaverit eo casu pænas dat, & posterior ille creditor ipsi præfertur per *Nov. 18. Cap. 10.* item *auth. possessori, C. q. pot. in pig.* male admodum de jurisprudentia merentur, qui eam mendaciis insimulant, ac si fenestram aperiret, puniuntur enim in toto jure.

§. 2. Præfertur etiam posterior, creditor si is nitatur publico instrumento, & prior tantum privato. Hæc est sententia *l. 11. & auth. seq. C. q. pot. in pign.* nisi addit *d. l.* privatum illud instrumentum probatæ atque integræ opinionis triuit, vel amplius virorum subscriptio-nes, iisdem idiochiris contineat: nam tunc quasi publicum habetur.

§. 3. Præfertur fiscus et si posterior sit in re postea acquisita inquit *l. 28. ff. d. j. fisc.* & rationem satis eleganter subjicit *JC.* nim. prævenit enim causam pigno-  
ris

ris fiscus, sed huic l. graviter obſt. videtur *l. ult. ff. q. pot. in pig.* in qua lege mulier præfertur. Vide *gloss. ad d. l. 28. ff. d. j. fisc.* quæ ſuppeditat tres reſpoſiones ad conciliandas has leges.

§. 4. Nec attenditur ad prærogativam temporis, ſi quis impensas fecerit in funus per *l. 14. §. 1. & l. pen. ff. d. relig. & ſumpt. fm.* is enim omnibus omnino creditoribus & præferendus. Idque ob favorem ſepulturæ introductum eſſe videtur, ne maneant inſepulta cada-vera.

§. 5. Regula prædicta fallit quoque, ſi debitor conſentiente primo, pignus obligaverit ſecundo creditori atque hoc actum fit inter contrahentes, ut ſecundus primo præferretur. *l. 22. §. 4. ff. pot. in pig.*

§. 6. Ceflat quoque superior regula, ſi posterior hypothecarius ſolverit priori, nam hoc ipſo in locum prioris ſuccedit quo pertinet totus tit. in *Cod. de his qui in priorum creditorum locum ſuccedunt*, cui reſpondet posterior pars rubricæ pandectarum *q. pot. in pig.*

§. 7. Jam ante occupavimus dicere hanc regulam inter personales non obtinere, illi enim, neglecta tem-bris prærogativa, ſecundum proportionem *Geometri-cam*, uti loquuntur, concurrunt, ita aperte docet Imp. in *l. 6. Cod. de reb. auct. jud. poſſ.* dantur tamen caſus, quibus noſtra regula inter personales creditores locum habet.

1. Si personalis creditor in tempore ſibi vigi-lavit & ex bonis debitoris condemnati, pignora capi-curaverit, is reliquis præfertur. *l. 9. 3. C. q. pot. in pig.*
2. Si etiam abſque fraude débitum ſuum ante alios ex-ege rit, non tenetur reliquis communicare *l. 6. §. 7. ff. quæ in fraud. cred.*
3. Idem eſt ſi fugientem debitorem

12 DISPUTATIO JURIDICA

persecutus fuerit, eique tantum extorserit, quantum ipsi  
debebatur *l. 10. §. 116. ff. eod.* ratio horum est in vul-  
gato axiomate, *jura vigilantibus scripta sunt.*

C A P U T VI.

**H**aec tenus de usu nostræ regulæ in materia præla-  
tionis creditorum disseruimus, hoc capite sum-  
matim & quasi per indicem notabimus alias materias,  
in quibus hæc regula locum sibi vindicat.

§. 1. In emptione eum esse potiorem, cui res primo  
tradita, est supra expositum *Cap. 1. §. 1.*

§. 2. Idem est, si duo eandem rem vindicent ex cau-  
sa donationis, nam & is potior habetur, cui priori pos-  
sessio tradita est per *l. 15. in fin. C. d. rei vind.* extra le-  
gis auctoritatem hic DD. excipiunt donationem à prin-  
cipe factam, ac si in ea donatarius præferendus foret  
ei, qui possessionem primo nactus fuit.

§. 3. Ratio temporis habetur in judiciis divisoriis, in  
quibus, cum uterque actor & reus esse potest, is tamen  
actor censetur, qui primo ad judicem provocat *l. 13. ff.*  
*d. judiciis.*

§. 4. Prioritatis magnus quoque usus est in ultimis  
dispositionibus, ubi enim de voluntate disponentis certo  
non constat, non levis conjectura sumitur ab ordine  
scripturæ, ut, qui primo nominatus est, magis cense-  
tur dilectus, ac posterioribus præfertur. Exempla peti-  
possunt ex *l. 34. ff. d. usufr. l. 60. ff. d. hæred. inst. l. 24.*  
*§. 17 ff. d. fidecomm. libert.*

§. 5. In Jure Canonico hæc regulam insignem  
usum habet ratione possessionis, qua in parte *jus Cano-*  
*nicum*

nicum a Jure civili differt, nam in interdictis *ut ipso possidetis & utrubi vincit*, quitempore litis contestatae nec vi nec clam, nec præcario, ab adversario possidet §. 4. *J. D. interdict. contra Jure Can. is obtinet, eique ad judicatur possessio*, qui antiquiorem possessionem probare potest. *cap. 9. x. de prob.* quia prior possessor; justitior est quam secundus.

§. 6. Eodem Jure Canico prioritatis ratio habetur in dignitatibus ecclesiasticis, nam ita inter *Episcopos & clericos* in incessu: & concessu servatur ordo temporis & prior ordinatus, præcedat posterius ordinatum. Cap. *Episcopus distinct. 17.* & in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, prior tempore collatio præfertur posteriori *cap. 70. de concess. præbend.*

§. 7. Denique secundum multarum gentium consuetudinem regula nostra observatur in Jure primogeniturae, secundum quod in multis locis filius primogenitus solus succedit, in aliis duplam accipit portionem, in aliis aliam portionem præcipuam habet. Hoc jus fundatum habet in dignitate familiarum, ne crebra, & saepius repetita divisionie, principales familie aut in totum intercidant, aut saltem admodum attenuentur, quod jus antiquissimum esse, neque juri Divino adversari constat ex sacris literis. *Genes. 21. Deuter. cap. 21. com. 16.* § 17.

F I N I S.

B 3

CO-

# COROLLARIA.

**I**ustitiam non potest remittere cautionem usufructuariam.

**II.**

*Scriptura non est de substantia legis.*

**III.**

*Maritus est dominus dotis.*

**IV.**

*Qui credidit ad refectionem navis, non habet tacitam hypothecam.*



AAN

A A N D E N  
H E E R  
**DIDERIK VANDER MAST.**

*Als hy inde vermaarde Hooge-School van  
UTRECHT, tot Meester in beide de  
Rechten verklaard zoude worden.*



Y word dan eyndlijc ingewyd.  
Nu naderd die gewenste tyd;  
Nu komt die blyde dag verschynen  
Die al uw' moeite doet verdwynen  
Uw arbeid , dien g'hebt aangewend,

O V A N D E R M A S T , is nu ten end !

Astréa zelfs komt u versieren ,  
En kroond uw hooft met lauwerieren.  
Dit zyn de vrugten van uw werk ,  
O voetster-zoon van Themiskerk !  
Die vaak uyt veelderhande boeken ,  
Het heylig Regt wist op te zoeken ,  
Gy zogt zoo lang , tot ge alles vond ;  
Waar in het Roomse Recht bestond ,  
En hoe de Wetten zyn beschreeven :  
Wat voor-recht aan ons is gegeven ;  
Door Kaarel en Justiniaan ,

Wat

Wat naar de Wetten diend gedaen,  
Wat volgens Recht wel mag geschieden.  
Dit alles , en veel dingen meer ,  
Zyn u zeer wel bekend myn Heer.  
Derhalven zult ge nu ontfangen  
Een Krans , die Themis uw zal langen ;  
Tot loon van uwe deugd en vlyt ,  
Neem aan dan 't geen gy waardig zyt :  
Zo zal de deugt haar meeester loonen ;  
Zo zal het einde 't werrik kroonen.

*amicus amico posuit.*

S. V. H.